



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

[LIV. Energumena liberata. Conclusio miraculorum.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

ponens, chorum, quem studiosius aliis frequentabat, ingreditur: sed paulò post fumum sentiens, & quid acciderit, animo præfago concipiens, ad locum festinus reuertitur: inuenitq; ostiolum à flamma tangi & fumum dare, sed non lædi. Cuius hæc meritis, nisi eius, cuius illic reliquiæ seruabantur, possunt adscribi? Poterant quidem, absq; ligni & lapidis repositione, à raptu alieno, ipso mediante, seruari: sed pius Confessor DEI, laborem & studium deuotè sibi obsequentium, noluit incal-fum deperire; ne, vel in paruo detrimento ianux viderentur contristari, ideoq; in ligno, foci vsui apto, vim virtutis suæ ignem à DEO obtinuit obliuisci.

CAPVT LIV.

Energumena liberata. Conclusio miraculorum.

Mulier arreptitia de restibus connexa manus coram prædicto reconditorio, licet multum renitens, sistitur. Quæ, demone mugitum in aëra dante seque ab HEINRICO torqueri vociferante, satis ipsa torta liberatur. Visum est illi, vt præsentibus referebat, quendam capite cano, barba proluxa, veste amictum regia, ex eodem loco processisse, & à se spiritum nequam pugnis & minis extorsisse.

Verùm, si cuncta sigillatim, quæ diebus singulis facta sunt miracula persequi voluero, tempus me prius, quàm materia deseret: præsertim cum numero possibilitatem excedente, custos ipse Ecclesiæ, qui omnibus ferè intererat, pauca de multis memoriæ tradere se potuisse perhibebat.

Hoc solùm hîc omittendum non est, quod de calice aureo, de quo supra dictum est, quem ob speciale deuotionis suæ indicium idem Imperator Beato Laurentio confici iusserat, febricitantes, aquæ, vel alterius liquoris haustu, curantur: præstante Domino nostro IESU Christo, qui cum DEO Patre & Spiritu sancto viuât & regnat DEVS per infinita sæcula seculorum Amen.

RESCRI-